DIEM SACRUM

AB S. LUDOVICI NOMINE

VOCATUM

IN HONOREM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

LUDOVICI II

MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM

CIVIBUS

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

OMNI QUA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

CELEBRANDUM

RECTOR CUM SENATU

INDICIT.

SUBIICITUR F. OSANNI P. P. O. ADNOTATIONUM CRITICARUM IN QUINTILIANI INST. ORAT. LIB. X. PARTICULA III.

GISSAE.

TYPIS GEORGII FRIDERICI HEYERI patris.

MDCCCXLV.

5

Quod quum ad hunc Fabii librum decimum per aliquot libellorum academicorum opportunitatem percensendum manum primum applicarem exoptavi, ut quae hic illic in bibliothecarum recessibus subsidia critica delitescere resciissem, tandem diligenti cura examinarentur et futuri editoris commodo in lucem protraherentur: id praeter omnem exspectationem ita ratum fuit, ut Bambergensis certe codicis, quem cum aliis aliquando accurate excutiendum designaram [1]), anno post copia per industriam laudabilem Frid. Leonardi Enderleinii facta sit, qui codice eo a capite ad calcem perlustrato, quum quae notatu digna visa essent, chartis mandasset, nunc in Solemnibus anniversariis gymnasii Suevofurtensis, in quo munere professoris litterarum antiquarum fungitur, binis indicendis speciminis loco lectionis diversitatem ex libri noni capite primo et ex libro decimo integram excerptam cum viris doctis communicavit [2]), addita insuper per hanc occasionem etiam alius codicis Pollingiani, nunc Monacensis notitia succincta [3]). Atque ex illo codice Bambergensi quae iam nova instrumentis ad Quintilianum perpurgandum criticis subsidia accesserunt, eo maioris aestimanda sunt, quo is classi librorum certius ei adsignandus videatur, in qua post Ambrosianum I, qui merito omnium optimus censetur, iuxta numerantur Turicensis et Florentinus, eadem qua hi vel praestantia vel corruptelae ratione insignes sunt [4]), conspicuus et ille: nec tamen iis ita addictus, quin nonnunquam ab iis recesserit singularesque passim lectiones exhibuerit, quae aliunde adhuc cognitae non essent, minime spernendae. Itaque anteaquam in pertexenda tela mea pergerem, ex re esse visum est, non tam propter subsidii recens inventi novitatem quam ob eximiam eius indolem ex decimi certe libri §§. iis, quas adhuc tractavi, potiorem scripturae varietatem eam enotare paucisque explorare, qua et iudicii nostri de huius codicis praestantia summa probaretur

1) Adnotationum crit. in Quintiliani Inst. orat. lib. X. Part. I. Gissae 1841. p. 4.

2) Commentatio de Bambergensi codice Institutionum Quintiliani manuscripto. Sectio prima, Suevofurti 1842. Sectio altera, decimum librum continens, Suevofurti 1843.

3) Sect. I. p. 4.

4) Hac de re dixi Part. I. p. 1.

et plerisque emendationibus nostris ex ipsa codicum scriptura vitiosa erutis nova adderetur auctoritas. Codex, quo integer ferme Quintilianus continetur, membranaceus et a duobus quidem librariis scriptus, quorum unus (A) saeculo decimo, alter (B) undecimo vixisse de Iaeckii bibliothecae Bambergensis praefecti longe eruditissimi videtur, labore scribendi non perspicua ratione inter utrumque distributo, quo fit ut non eadem omnibus locis codici fides sit. Praeterea passim per totum codicem, ut Enderleinii [5]) verbis utar, frequentissime per opus librarii A aut inter lineas transversas, aut in margine conspicua est manus correctoris tam vetusta quam inepta, nec rasurarum nec obelorum parca. De harum vero manuum diversarum auctoritate eundem, quid statuat, eo lubentius audiemus, quo acutius de tota hac codicum Fabianorum classe praestantiore iudicavit: „Ambrosiano I praestantiorem Fabii codicem extare nullum; ad eius similitudinem proxime accedere Bambergensem A; multo inferiorem locum tenere Turicensem, Bambergensem B et alteram manum Bambergensem.“ His breviter de codicis conditione praemissis, quae omnia Enderleinius et diligenter persecutus est et magna acuminis subtilitate examinavit, age iam libri decimi, quem cum ambobus posterioribus, illum certe a §. 107, librarius A teste Enderleinio [6]) scripsit, lectiones eas exhibeamus, quae ad partem capitis primi a nobis iamiam perlustratam pertinent.

§. 1. *cogitationi* a nobis commendatum firmat Bamb., mox *conferuntur* et *accesserat* et *diligentius* cum Turic. et Flor. exhibens.

§. 2. *sint* Bamb., eodem quo ceteri vitio laborans. Mox, quamquam interim in lectione codicum potiorum *scierit* acquiescendum esse monui, id ipsum tamen quod in Sarmatico et apud Riccium repertum, quodque in hac constructione Quintiliano perquam familiari valde mihi placere dixi *sciet*, nunc Bamb. exhibet, qua lectione, iudice Enderleinio, nihil certius est simulque tam huius codicis quam Sarmatici praestantia in clarissima ponitur luce.

§. 3. Bamb. *quidquid,* quod etiam a ceteris melioribus libris oblatum iure Enderleinius probat, Zumptii tenacitatem in tuenda vulgata *quidque* miratus. Qua de lectione nihil nos adnotaramus, quoniam postquam genuinam scripturam a Frotschero et Gernhardio iam repositam noramus, observatione nostra opus non videbatur.

§. 4. *procedente iam opere iam minime* Bamb. cum ceteris libris. In verbis sequentibus *quomodo instituendus orator, hoc loco dicimus* quum verbum *sit* aegrius

5) Sect. I. p. 7.

6) Sect. I. p. 16 et II. p. 8.

abesse sensissem, nil tamen invitis codicibus suadere ausus essem, nunc illud ipsum post *quomodo* praestat Bamb., eo minus spernendum, quo verbi substantivi omissio a consuetudine Quintiliani in hac structura participii suspensa magis abhorret, minime eo excusanda, quod sub finem huius §. sequuntur: *quo genere exercitationis ad certamina praeparandus sit.* Haec enim a superioribus verbis parenthesi interiecta disparantur, et si in duorum participiorum concursu verbum semel ponitur, id primo orationis membro apponi solet, veluti V, 13, 52: *facile iudicabit, quibus maxime rebus vel occurrendum sit, vel instandum.* XI, 3, 35: *Observandum etiam, quo loco sustinendus et quasi suspendendus sermo sit . . . quo deponendus.* Adde quod illa ipsa verbi post *quomodo* positio suadet, ut id a Fabio profectum credamus, v. infra monenda ad §. 39: librarius enim id post *orator* collocaturus fuisset. Mox Bamb. *qua in oratione quod dicere facere*, ex quo praesidii certe nonnihil quod *dicere* pro *didicit* reponendum monuimus nanciscitur. Neque nunc, quod sero in mentem venit, haesito quo minus *qua in oratione,* quod in omnibus quotquot novimus codicibus exstat, pro vulg. *qua ratione* reponendum iam suadeam, lectioni totius huius loci tam a me propositae quam vulgari, si defensurus sis, sensu aptissimum, si quidem *orationem* accipias pro orandi genere dictum.

§. 5. *positae constantia copia* Bamb., ubi nunc vulgatur *possit? Eae constant copia.* Ad firmandam lectionem a me commendatam nunc adiicio loco litterae *e,* quam a plurimis codd. offerri monui, in nonnullis a Spaldingio laudatis *est* legi, quae vox cum copula *et,* quam rescribendam suspicatus sum, quam saepe in codd. commutari soleat, norunt qui codices tractarunt.

§. 6. In verbis *atque ut ita dicam* post primum Bamb. cum Flor. et Turic. *id* inserit. Quid, si a Quintiliano scriptum coniiciamus *ac quidem?*

§. 7. *significarentur solito se discere* Bamb., ut ceteri codd. Idem mox *si* pro *cum,* et, quod nunc receptum est, *breve intra spatium,* iam ex Sichardiana ed. a me quoque vindicatum. Mox Bamb. *quod idem,* et paullo post *turbam̄tum* omisso *modo,* ubi alii codd. *turbamentum modo.* Verum si est quod de voce *modo* ex Bamb. notatur, scriptura prodiret *turbam enim tantum,* quod non peius lectione ex reliquis codd. a nobis enucleata *turbam enim tantummodo.*

§. 8. Quod reponendum diximus *consequimur,* idem in Bamb. exstat. Idem mox *quod quoque locis ita petissimum,* unde pariter *quoque loci* lucramur, quod Fabio restituere ausus sum.

§. 9. *quidem* tuetur Bamb. quoque. In seq., ubi apud Spaldingium vulgatum *interim tueri sat est,* Bamb. *iter in ueteri sat est.* Mox *nam,* quod aucto-

ritate codicum nisi sustulimus, ecce nunc in Bamb. offertur, si quidem silentio Enderleinii fides habenda est. Pro *nitidiore* Bamb. *tidiorem.*

§. 10. *et ubicunque erunt posita, conveniant* et mox *possimus* Bamb., hoc cum Turic. et Flor. Deinde Bamb. *omnem misermonem,* quod ducit ad eandem lectionem, ex vestigiis ceterorum codd. iamiam erutam; dubium vero manet, an *cum* omittat.

§. 11. *aliave* cum reliquis melioris notae codicibus Bamb., videlicet pro *alia vero.* Cum iisdem mox miro consensu Bamb. *quare* pro *quasi,* in quo explicando Spaldingio quidem obsecutus sum, unam quippe defendendi rationem ceterorum editorum commentis praestantiorem monstranti: sed fateor in hac codicum optimorum pertinacia nunc eo me adductum esse, ut quum ista vox omnino a Voss. 2 et Camp. absit, Gernhardio malim adstipulari, uncinis eam includenti: nisi forte cui probabile videatur, doctum aliquem librarium pro *quasi* scripsisse *quase* (facili negotio in *quare* corrumpendum), qua forma praeter Livium etiamtum Asconium Pedianum usum esse Quintilianus auctor est I, 7, 24.

§. 12. *commiserit in talia* cum Flor. et Turic. Bamb. Idem §. 14 *usu* pro *visu* cum reliquis omnibus codd., notante Enderleinio.

§. 17. Bamb. cum aliis codd. *commodat aut quisquisque locus*, et §. 19. *impetus.* Ibidem post *sive memoriae* adiicitur *penitus,* quod interpolationem sapit. §. 20. idem *praecipueque,* invitis Turic. aliisque libris. §. 21. *dissimulatim insidiatus orator eatque* Bamb.

§. 22. Bamb. *Servi Sulpici* et mox *Cassi,* adstipulantibus et Flor. et Turic.: quibus de genitivi formis Quintiliano vindicandis quum iam monuissem Part. II. p. 22., nunc non sine animi recreatione cognovi, etiam H. Meyerum in Quintiliano suo T. I. p. 3., qua editione omnium quotquot adhuc vulgatae sunt optima tum carebam, idem plane sensisse.

§. 24. Pro *magni,* quod vulgatur, Bamb. *om̄i,* quos litterarum ductus Enderleinius monet ad *optimi* ducere, id ipsum quod Sarpii, non Frotscheri, ut dixeram, ingenio debemus quodque reponendum esse adnotavi.

§. 25. *reperierunt* Bamb. conspirans cum Flor. et edd. nonnullis vett., quod si in *repererunt* mutaveris, vulgatae lectioni *reperietur* concinnitatis lege Enderleinio praeferendum videtur.

§. 26. Bamb. *modesto,* quod etiamnum displicet, quamvis aliter sentiente Enderleinio. §. 27. pro *blanditia* Bamb. solus *libertate,* quod ex seq. periodo Enderleinius huc irrepsisse putat, pariter atque *etiam,* quod mox §. 28. Bamb. post *eamque* (ita enim cum optimis idem pro *et eam*) addit, aliunde invectum

arbitratur, id quod secus mihi videri suo loco monui, quippe eandem plane lectionem a Bamb. oblatam revocandam ratus.

§. 30. Bamb. *ergo*, adnotante haec Enderleinio: „Vulgatae *ego*, si quid video, adversativa quaedam vis inest, huic loco aliena. Standum in optimorum tantum non omnium (praeter nostrum Turic. Flor. Guelph. Camp. Almel.) lectione, qui concludendi particulam exhibent.“ Recte. Neglexerunt editores discriminis quid prodeat ex diverso fine et munere, quod utrique persequantur: quod quale sit, auctor verbis *neque ergo* etc. ostendit.

§. 31. Bamb. *oratorem moveri ioc.*, ubi nunc vulgatur *orationem quodam uberi iucundoque*. Enderleinius: „*Oratorem*, inquit, haud spernenda lectio, quae quamquam in codd. praeter nostrum non invenitur, vetusta tamen manu editioni meae Coloniensi (1521) adpicta est.“ Immo vulgatae ea lectio multo praestat, quandoquidem de oratore futuro agitur, eo maiore fiducia in contextum suscipienda, quo saepius hoc in genere dicendi, quo abstractum cum concreto, ut aiunt, et invicem commutare in promptu est, a Fabii librariis peccatum esse animadvertimus, quemadmodum quum VIII, 3, 22 ex auctoritate codd. nunc vulgatum fertur *id tamen in declamationibus est notabilius laudarique me puero solebat* etc., Ambrosianus praestat *declamatoribus*, quod longe significantius esse iudicat Zumptius. Atque illa ipsa vox *orator* nescio quo casu meliores codices, quibus etiam Heidelbergensis addendus, de quo dixi Part. I. p. 4., invasit VIII, 3, 11, ubi vulgatur: *Illud observatione dignius, quod hic ipse honestus ornatus pro materiae genere decet variatus.* In quorum codicum constantia vellem per ceteram loci scripturam liceret nobis scribere *quod hic ipse orator pro materiae genere debet variare*, quod sensui aptissimum foret. Nam non debet loco moveri *decet*, quod quum per totum hoc caput de ornatu eiusque decore sermo sit, auctor consulto posuisse videtur. Neque codices uno consensu non agnoscunt lectionem *variatus.* Ut igitur nunc res est, acquiescendum in lectione *ornatus*, cuius certe fulcrum habemus in scriptura vitiosa Goth. et Voss. 2 *ornator*, quam nollem Spaldingius exquisitiorem appellasset: saepe enim vocum terminationes *or* et *us* ut alibi, ita in Fabii quoque Mss. commutatas observamus. Certior vero alia est medela huic loco adhibenda. Non fugit Gernhardium, *pro* ab omnibus libris scriptis et excusis abesse, a Regio demum insertum: sed non debebat expulso *pro* legendum proponere *materiae genera*, quo sententia obscuratur, cui aptior videbitur correctio *materiae e genere.* Similiter adhuc peccatum mox §. 13, ubi Fabius, postquam tum quum maxima rerum momenta versentur, alienam esse nimiam in verbis diligendis sollicitudinem monuit, his pergit: *Neque*

hoc eo pertinet, ut in his nullus sit ornatus, sed uti pressior et severior, eo minus confessus, praecipue ad materiam accommodatus, ubi quum pro verbis *ad materiam* in Turic. et Almelov. *materia* exhiberi iam adnotatum esset, quod Burmannum induxerat, ut *materiae* reponendum suaderet, hoc ipsum nunc in Ambr. repertum est, sine dubitatione in contextum recipiendum. At neque ita locus persanatus videtur. Quae enim est perplexa ista struendi ratio *uti pressior — eo minus,* quum in promptu fuerat scribere *quo pressior?* Si concedamus, quod inviti concedimus, in comparativorum iunctura recte dici *ut — eo,* his particulis admissis verba *eo minus confessus* in apodosi ponuntur, cui sequentia quam inepte adnectantur, nemo est qui non intelligat. Immo sententia postulat, ut extrema verba *praecipue materiae accommodatus* apodosin contineant, in qua formanda quum proprie *accommodatior* scribendum fuisset, auctor constructionem addito *praecipue* variare maluit. Haec si ita sunt, patet prorsus alio modo atque nunc vulgatur hunc locum conceptum fuisse, cuius formae restituendae ipsi codices mirifice favent. Et primum pro *eo* recipiendum *et,* ab Obrechto iam editum, Gesnero Zumptioque probatum: quae lectio aperte oblitterata inest in *eminus,* quod suppeditat Ambr.; deinde ex Heidelb. accersendum *ubi* pro *uti:* unde nunc totus locus hac specie ut puto, emendatiore prodit: *Neque hoc eo pertinet, ut in his nullus sit ornatus, sed ubi pressior et severior et minus confessus, praecipue materiae accommodatus.* Similiter affectus locus sententia haud dissimilis in eiusdem libri cap. 3, 18 exstat, similiter sanandus: *Clara illa atque sublimia plerumque materiae modo cernenda sunt.* Quum inusitata verbi *cernendi* significatio Spaldingio iam offensioni fuisset, ei tollendae nunc succurrit quod ex Ambr. excitatur *discernenda,* quod cum Zumptio, quicum etiam Bonnellius Lex. Quintil. p. 242 facit, eo lubentius comprobo, quo maior illius codicis auctoritas est. Illud vero *modo,* in quo retinendo editores mirum in modum certant, (nullius enim codicum adhuc adhibitorum, neque Heidelbergensis, fide sustentatur) Regio debetur, qui quidem ex quibusdam exemplis id se inseruisse narrat, tum demum audiendus, quum ista exempla quae sint, quae vereor ne fuerint editiones quaedam veteres, exploratum habuerimus. Interim acquiescamus scriptura ex libris Mss. diligenter expressa, vitiosa ea quidem, sed deleta voce *modo* et corrigendo *materia* facili negotio pristino nitori suo reddenda: quae loci restituendi ratio eo probabilior videbitur, quo frequentior apud Fabium ablativi usus in huius verbi *discernendi* constructione est, quod singulis exemplis confirmare haud necesse est. Ab hac autem digressione anteaquam in viam revertamur, iuvat Ciceronis quendam locum designare, in quo similis fluctuatio

codicum cernitur, Or. pro Milone 1, ubi vulgatur: *cederem tempori*, *iudices, nec inter tantam vim armorum existimarem esse oratori locum.* At codd. nonnulli Orellio in eius orationis ed. singulari citati *orationi*, quod quo se commendet ipse ait habere, etiam Erfurtensi firmandum, quo adiuvante in tanta eius libri auctoritate, postquam eius orationis Freundii cura exemplum ex illo codice diligentissime descriptum nacti sumus, nunc demum plane aestimanda, nec tamen adhuc satis explorata 7), res certissime confici videtur.

§. 31. Bamb. *solutum est*, ut meliores reliqui, quorum ope genuinam loci scripturam nobis, ut puto, contigit restituere. Idem mox §. 33. *audeo quia*, quod Frotschero placuit.

In hac codicis Bambergensis censura quum iam ad eum libri I. locum pervenerimus, quo in hac critica enarratione nuper substitimus, in ea tela detexenda more instituto age nunc pergamus.

7) Iuvat, ne pluribus, uno exemplo, quod in ipso exordio legitur, confirmare. *Haec novi iudicii* inquit Cicero, *nova forma terret oculos, qui, quocumque inciderunt, veterem consuetudinem fori, et pristinum morem iudiciorum requirunt.* Omnia haec plana et sana videntur: nec tamen convenit Tullianae eloquendi rationi quod *veterem* adiectum est, etsi hoc propter membrorum iunctorum aequalibitatem *(pristinum morem iudiciorum)* defendi nonnemini videatur posse. Etenim non moris est Ciceronis in phrasi *vetus consuetudo* genitivum addere. Vid. I. Verr. 6, 16. Rhet. ad Her. IV, 37. Div. in Caecil. 2: *Adductus sum officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine institutoque maiorum,* qui locus propter similem membrorum singulorum inaequalitatem notandus. Sed quoniam nulla ratio ex ipsa sermonis consuetudine afferri potest, quin genitivus aliquis apponatur, quum et ipse Tullius de fato 11, 24 *communi igitur consuetudine sermonis abutimur* dixerit, gravius erit in rem, immo gravissimum, quod eam vocem Erfurtensis respuit. Quid? quod huius fides augetur auctoritate ipsius Quintiliani, eam omittentis XI, 3, 50. Contra *veterem* tuentur qui hunc locum excitant, et Diomedes et Isidorus Orig. II, 18: sed re diligentius perquisita loci hi non solum contraria testantur, sed simul originem corruptelae plane ostendere videntur. Atque Diomedes binorum locorum, quibus illa Ciceronis verba respicit, altero p. 466 affert, ut nunc vulgantur, *et pristinum morem iudiciorum*, altero autem p. 462 a semetipso, ut videtur, dissidens, *consuetudinem fori et pristinum iudiciorum morem minime vident.* In his primum ex duobus optimae notae codicibus Parisiensibus olim a me collatis pro *minime vident* revocandum *requirunt;* deinde eorundem auctoritate inducenda sunt verba, quippe ab interpolatore inserta, *consuetudinem fori et pristinum,* ita ut iam haec verborum forma emergat *veterem iudiciorum morem requirunt,* quam suam fecit Isidorus l. l. Habemus igitur antiquam lectionis Tullianae varietatem *pristinum* et *veterem,* quam quum verba *consuetudinem fori* a Diomede omnino in exemplo allata non esse iam pateat, cave ita expedias, ut cum Garatonio totum locum a grammatico contractum citari dicas. Immo manifestum videtur, *veterem* voci *pristinum* a nescio quo olim adiectum, postmodum in ipsa contexta et alieno quidem loco ante *consuetudinem* irrepsisse.

CAPITIS PRIMI

§. 33.

Tullius nec Thucydidem aut Xenophontem utiles oratori putat.

Ita Frotscherus, his in nota, qua quid intersit inter *ne-quidem* et *nec-quidem* pertractat, subiectis: „Spald. edidit *ne Thuc. quidem aut Xen.* At nostrum habent summae auctoritatis libri Turic. Flor." Assentior in recepta lectione, non item in iis quae ad eam defendendam de usu illarum formularum, Gernhardii ad Cic. de sen. 9, 27 potissimum et Goerenzii ad Acad. II, 26, 82 placita secutus, disputavit parum accurate. Alios, qui nostra aetate *nec-quidem* vindicare studuerunt, enumerat Hessius Var. lect. in Tac. Germ. Comm. III, p. 9. Illorum autem virorum doctrina eo fere redire videtur, ut in formula *nec-quidem* unum quodque eius membrum contendant seorsim spectandum esse propriumque sibi sensum vindicare, quo v. c. Goerenzii de sententia *quidem* dicatur significare *sane.* Quibus ego nil video afferri quod ad explicandum discrimen formulae utriusque magnopere faciat, quum si eam significationem semel admiseris, in utraque eam locum habuisse necessario statuas: quod ideo fieri non potest, quod si in *nec-quidem* posterior vox seorsim intelligi potest, id in *ne-quidem* eam ob caussam admitti non potest, quia *ne* pro *non* Latine non dicitur. Qua de re qui totum hunc locum subtiliter tractavit, bene monuit Madvigius Exc. III. ad Cic. Fin. p. 827. Immo quum vis negativa, quae in utraque formula inest, ab altero membro *quidem* seiungi nequeat, omne discrimen a diversa particularum negativarum ratione repetendum videtur, quarum quum illa ἀσυνθέτως ponatur, haec vero vim copulativam numquam non habeat, sequitur ut *nec-quidem* pro *ne-quidem* tum solum dici possit, quum ad hanc dicendi formam vis copulativa accedat. Quae plane ad idem redeunt quod Madvigius demonstratum ivit, *nec-quidem* simpliciter pro *ne-quidem* dici non posse [8]): quod si tamen scriptores Augusto recentiores sibi indulsisse concedit, id si revera factum est, quod ut credam non adducor, factum est vitio scriptorum, invita ipsa eius particulae proprietate. Huius vero copulativae rationis duplex genus est, quum aliquid aut praecedentibus adiungatur, aut specie prioris membri iuncti posteriori praeponatur. Ad priorem usus rationem Schelleri a

8) Vitiosum igitur quod ap. Cic. de rep. VI, 25 nonnulli libri exhibent *quod numquam nec moveri quidem desinit.*

Gernhardio iniquius explosi observatio pertinet, ex qua *nec - quidem* idem fere sit quod *etiam ne - quidem*, vel ubi, ut aliis verbis utar, *ne - quidem* copulae forma et vi praecedentibus sententiae sive affirmantis sive negantis membris adiiciatur. Luculentum formulae *nec - quidem* praecedentem negationem excipientis exemplum praestat Cicero de div. I, 9: *Non quaero cur, quoniam quid eveniat intelligo . . . nec hoc quidem quaero, cur haec arbor una ter floreat, aut cur arandi maturitatem* etc., ubi Gernhardius cum Hottingero *ne hoc quidem* malebat. Fin. I, 13: *Quarum* [cupiditatum] *ea ratio est, ut necessariae nec opera multa, nec impensa expleantur: ne naturales quidem multa desiderant, propterea quod natura ipsa divitias . . . habet,* ubi optimus codex Glogav. *nec naturales quidem,* quod non est cur respuamus. Mox vero c. 15, ubi *ne fortitudo quidem* vulgatur, an eodem codice auctore, quicum alii consentiunt libri, *nec* etc. reponendum sit, ancipitis est iudicii. Ex eodem genere sunt illa de Nat. Deor. III, 9, 23: *Nihil igitur affert pater ille Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus, nec cur animantem quidem esse,* ubi Gernhardio *ne* placebat. Apuleius Metam. VIII. p. 573. ed. Oudend. *asinum vides, ad usus omnes quietum, non mordacem, nec calcitronem quidem.* Ac re vera posterius *nec* vim habere formulae *et* vel *etiam ne,* docet manifesto alius eiusdem libri, ut in hoc consistamus, locus IV. p. 258 *quas nec sublevare, neque dimovere, ac ne perfringere quidem nobis videbatur,* uti scribendum est, ipso Oudendorpio docente *ac nec,* quod vulgatur, retineri non posse; illud *ne* complures habent Codd.: nullus vero *ac* omittit. Contra vero in his IX. p. 674 *ac diebus plusculis non vidisse quidem illum hortulanum contendit* legendum *ne* pro *non,* quod coniecturae debetur, dum Codd. *nec* habent. Formulae *ac ne - quidem* exempla Tulliana congessit Madvigius p. 826. Tac. Dial. de orator. 29: *Nec praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent.* In Catonis de innocentia sua orationis fragm. ap. Isidor. Orig. XX, 3, 8 vulgatur: *Cum essem in provincia legatus, quam plures ad praetores et consules vinum honorarium dabant: numquam accepi, nec privatus quidem,* ubi Meyero aliisque *ne* reponi iubentibus miror adstipulari Klotzium potuisse in Annal. a se et Iahnio editis Vol. XL. p. 389, recte istum locum interpretantem „zu keiner Zeit, auch dann nicht, als ich Privatmann war.“ Potest vero etiam prius membrum reticeri, si quod supplendum est, ex praecedentibus facile colligitur, ut loco Ciceronis de sen. laudato, qui Gernhardio ea de re disserendi ansam dedit, *nec nunc quidem vires desidero adulescentis.* His enim verbis a digressione Tullius ad rem suam revertitur, hac sententia: „neque antea desideravi vires adulescentis, neque nunc quidem desidero senex factus.“ Nulla igitur a vulgata lectione cum Gern-

hardio aliisque caussa discedendi idonea est. Addamus Fin. I, 14: *quid est cur dubitemus dicere, et sapientiam propter voluptatem expetendam, et insipientiam propter molestias esse fugiendam? Eademque ratione ne temperantiam quidem propter se expetendam esse dicemus, sed quia* etc. Temperantiae mentionem ultimo loco facit Tullius, quippe de ea nunc cummaxime dicturus: ut neque sapientia, ait, propter se expetenda sit, neque insipientia propter molestias fugienda, ita haud magis temperantiam propter se expentendam esse; in qua manifesta comparatione aptissimum censebis *nec*, quod rursus offert codex Glogaviensis [9]). Eiusdem generis sunt illa Taciti Dial. de oratoribus 18: *Num dubitamus inventos, qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur? Satis constat, nec Ciceroni quidem obtrectatores defuisse.* Atque etiam tum, ut dixi, *nec-quidem* locum habere potest, quum affirmatio praecedit, ut Catilin. III, 10: *Ultus est huius victoriae crudelitatem postea Sylla; nec dici quidem opus est, quanta deminutione civium et quanta calamitate rei publicae,* quem locum recte explicuit Gernhardius. II Verr. II, 20, 48: *de isto id, quod omnes videbunt, neque ille quidem obscure, locutus est,* bene Zumptio interpretante positum pro *ac ne obscure quidem.* Alterum denique huius usus genus, ad quod progredior, eo consistit, ut *nec-quidem* ei membro orationis, quicum iungitur, praeponatur, atque necessario ita ut a particula disiunctiva excipiatur, sive *aut,* sive *vel:* horum loco *neque* dictum esse, mihi quidem adhuc incompertum est. Ex hoc genere noster Quintiliani locus est: alia exempla Frotscherus notavit.

9) De huius codicis librorum de Finibus Tullianorum praestantia, iam dudum mihi ex collatione, quam amicus triginta fere abhinc annis mecum communicaverat, perspecta nunc, postquam Schneiderus scripturam eius in lucem protulit Prolusione acad. Vratislav. a. 1841 edita, vulgo iudicare licet. Uno exemplo defungar ad rem probandam II, 3, 8. Multo licet labore editores omnem lapidem volverint, ut vulgatam *verbis his eandem certe vim voluptatis Epicurum nosse quam ceteros* expedirent, sive corrigendo, quam viam Bremius verba *verbis his* uncis secernendo iniit, sive explicando, ut Madvigius, cuius explicatio durior quam verior neque Ciceronis dictioni ullo modo convenire videtur, desperandum de hoc loco esset, nisi in integrum restituendo plane lectio Glog. *velle esse* succurreret, sine mora in contextum suscipienda, ut quae omnia, quae requiramus, exhibeat. Neque vulgatam sustentat quod apud Nonium v. *hilaretur* scriptum exstat *non nosse,* vitiosum id ipsum, quo certo demonstratur, longe aliud quam vulgetur a Cicerone olim scriptum fuisse. De aliis locis eiusdem codicis ope sanandis alibi dicam.

§. 34.

Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore, dum in his, de quibus erit quaestio, meminerimus non athletarum toris, sed militum lacertis opus esse: nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem facere.

Sic addito de coniectura verbo *opus,* quod ab omnibus codd. omittitur, Spaldingius affecto loco succurrere studuit, adiuvante, ut putabat, ipso Florentino, *toris* et *lacertis* exhibente, quod nunc etiam in Bamb. repertum est, quum in ceteris omnibus esset accusativus. Eandem lectionem Enderleinio teste docta aliqua manus exemplari Hittorpiano iam adscripserat. Probarem, si quo modo *opus* exciderit, demonstrari posset. Improbarunt etiam Frotscherus et Gernhardius aliique, quibus etiam Zumptius sese adiunxit: quorum ille *esse* explicuit locum habere, hic valere, quae ad idem fere redeunt, uterque exempli gratia loco allato V, 8, 3, qui a nostro valde diversus est. Hanc autem explicationem quo minus probem, eo prohibeor, quod scriptoris mens non est exponere, quid in istis, de quibus quaestio est, locum habeat, sed potius quid in iis locum habere, vel non habere debeat. Felicior vero Frotscherus fuit in refutanda Sarpii Quaest. c. 7. p. 52 sententia, hanc, quam desideramus, verbi debendi notionem suppleri posse secundum dicendi consuetudinem tam Graecis quam Latinis familiarem praecipientis, qua post verba, quibus inesset voluntatis vel praecepti significatio, verbum δεῖν omitti soleret, ut in illis X, 7, 28: *Ciceroni placet, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem.* Quibus recte Frotscherus opposuit, non eandem esse vim verbi *meminerimus* ac verbi *placet;* deinde a nostro alter locus etiam eo differt, quod in hoc qualem placeat esse sermonem adiecta voce *negligentem* declaratum est, ita ut quod Ciceroni placere dicatur, id pro praecepto haberi possit, quod non fit in loco nostro, cuius lectio Sarpiana non alium habere potest sensum quam ut doceamur, inesse militum lacertos, non athletarum toros; quae sententia minime praecepti speciem prae se fert, sed factum aliquod simpliciter enarrat. Accidit hic mihi, ut quod coniectando consecutus sum, et quo ad restituendum locum nihil certius proponi posse puto, Sichardianae auctoritate confirmatum repererim, quippe in qua non solum *opus,* sed etiam verbum *esse* omittatur. Hinc mutata interpunctione cum *meminerimus* iungendum *ad forensem pulverem facere;* unde prodit haec loci scriptura: *memi-*

nerimus non athletarum toros, sed militum lacertos, nec versicolorem [10]) *illum ... vestem bene ad forensem pulverem facere.*

§. 35.

Est et alius ex historiis usus, et is quidem maximus, sed non ad praesentem pertinens locum, ex cognitione rerum exemplorumque, quibus imprimis instructus esse debet orator, ne omnia testimonia expectet a litigatore; sed pleraque ex vetustate diligenter sibi cognita sumat etc.

Gothani lectionem *historicis*, Gesnero memoratam, ne secordia editorum plane oblitteretur, adnotare hic iuvat, a Spaldingio praetermissam, neque, a ceteris editoribus Spaldingium unum ducem sequentibus quum neglecta esset, a Zumptio suppletam. Multo vero praestat qui in ceteris libris fertur pluralis *historiis*, eo quidem significatu, quo a singulari, ipsam disciplinam, quae in cognitione rerum consistit, notante differt. Plurali enim *historiae* plerumque significantur res ipsae in historia traditae, argumenta et contenta, velut I, 6, 31. 8, 18. VI, 3, 44. Cic. or. pro Scauro c. 19. p. 13 ed. Frcf. de fin. I, 7, 25, ubi v. Madvig. p. 55. Hyginus Astron. 15: *quoniam credere instituimus historiis*, i. e. fabulis. Cf. eiusd. Prooem. init. et Hygini Genealogia in Dosithei Magistri Interpretamentorum libro tertio ed. Böcking, p. 65: Ὑγίνου γενεαλογίαν πᾶσιν γνωστὴν μετέγραψα, ἐν ᾗ ἔσονται πλείονες ἱστορίαι διερμηνεύμεναι ἐν τούτῳ τῷ βιβλίῳ. Euseb. in Maii Coll. nov. Vat. Vol. I. p. 47. Adde vero *historiarum* nomine etiam dici opera historica, historiarum libros, quo significatu Noster X, 2, 7. Cic. Orat. 9. Seneca Epist. 33 usurparunt.

Sed levidense hoc quod de lectione *historicis* moneo. Paullo gravioris momenti videbitur alia observatio, quippe quae ad sententiam totius loci generalem recte perspiciendam pertineat. Summa enim sententiae, si ad verborum vim accurate expenditur, ad id solum redigitur, cognitionem rerum exemplorumque, quibus instructus esse debeat orator, quippe petendam ex historiis, eo fine comparandam esse, ut ne omnia testimonia ipsi a litigatore expectanda sint. Num vero credibile, praeter illum non alium quoque usum historiarum Fabium circumspexisse, oratori illo multo utiliorem? Minime enim satis est, ut coram litigatore in caussa dicenda orator testimonia rerum exemplorumque ipse praesto habeat;

10) Eadem voce de veste variegata, et ita ut ad similem elocutionis formam transferatur, usus est Fronto p. 10 ed. Rom.

immo necesse est ea omnino cognitione rerum orator instructus sit, qua ad pernoscenda litis argumenta caussamque, anteaquam cum adversario contendat, sufficienter performandam opus est, quaque non solum unius cuiusque caussae singulae prompta aptaque tratatio comparatur, sed iusta oratoris, cuius officium in rerum non fictarum, sed vere dictorum factorumque aestimatione consistit, institutio omnino conficitur. Praeterea si historia adiuvante solum id caveretur, ut in demonstranda testimoniorum vi oratori litigatore non opus esset, eum historiarum usum ut maximum diceret, vix Fabius adduci potuisset. Quae si recte a nobis disputata sunt, vulgatam si quidem sequamur, Quintilianus putandus est omisisse id quod inprimis commemoratione dignum fuisset: quod ut a tali magistro, qualem Fabium novimus, commissum sit, ut credam numquam mihi persuadebo. Quocirca eius incuriae caussa non in culpa scriptoris nostri, a quo illa quam maxime aliena videtur, sed editorum ponenda videtur, qui quum *nec*, quod pro *ne* in codd. paene omnibus atque in ipsis Flor., Turic. et Bamb. exstat, fastidiose spreverint, locum corrupisse existimandi sunt. Illa enim negationis forma revocata lucramur id quod desideramus. Duplex iam commendatur historiarum usus, alter quidem generalis et maximus, ex cognitione rerum exemplorumque, ad praesentem vero locum ideo non pertinens, quod ea de re explicatius dictum erat V, 11, alter vero specialis, quo oratori provideatur, quo minus quum minus praeparatus ad caussam accesserit, testimonia omnia a litigatore exspectare cogatur. In hac loci conditione distinguere verba ita praestabit: *quibus imprimis instructus esse debet orator: nec omnia testimonia exspectet a litigatore, sed pleraque* etc.

§. 36.

A philosophorum vero lectione ut essent multa nobis petenda, vitio factum est alio oratorum, qui quidem illis optima sui operis parte cesserunt.

Haec loci scriptura, a Spaldingio conflata, neque codicum auctoritate munitur, quod statim monstrabimus, neque a sententiae ratione satis commendatur. Primum enim non perspicitur, quid et quale aliud illud sit, quod commemoratur, oratorum vitium; deinde non apta rei sententia, in optima operis parte referri ea, quae a philosophis oratores mutuati sint. At illud ipsum *alio* Spaldingio debetur. Codd. nonnulli, in quibus est Bamb., vocem omittunt: quos secuti sunt Frotscherus et Gernhardius. Maior vero codicum pars *alia*, unde in plerisque effectum est vitiose *vitia* pro *vitio;* quod corruptum videtur ex *alias*, quod tenent Guelph.

Goth. Voss. 2 Camp. cum Edd. ante Basil. quodque eo significatu, quo pro *interdum* ponitur, loco eo magis convenit, quod totius sententiae vis ex temporis notione suspensa est: non enim oratoribus quid faciendum sit praecipitur sed quid ab iis nonnunquam factum sit enarratur. Deinde pro *cesserunt*, quod ex Regii coniectura omnibus probata fluxit, meliores libri cum Bamb. *censentur* et paullo ante *quae*, ubi *qui* vulgatur, etiam in Bamb. repertum; facile tamen intellectu est, *quae* in *qui* ob praecedentem vocem *oratorum*, quo male referebatur, mutatum esse; contra *quae* pertinet ad *multa*. Ex hac loci conditione ultro prodit haec scriptura, in qua ne litterulae mutatione opus est: *vitio factum est alias oratorum: quae quidem illis optima sui operis parte censentur*, qua non convenientior rei sententia ulla potest esse. Quum oratores in excogitandis et inveniendis iis, quae maximopere ad ipsorum res facere viderentur, qualis est locus de iustis, honestis, utilibus et quae his sunt contraria, socordiores fuissent, quam negligentiam vitii nomine Quintilianus notat, interdum petita esse ea ipsa et quidem multa a philosophis, quae quidem, ut censet Quintilianus, in optima illorum operis parte referrentur. Continuo sequuntur:

> *Nam et de iustis, honestis, utilibus iisque quae sint istis contraria, et de rebus divinis maxime dicunt et argumentantur acriter.*

In verbis *iisque quae*, quam lectionem, sine haesitatione nunc quidem ab omnibus vulgatam, deteriores tantummodo libri suppeditant, Mss. valde fluctuant. Turic. et Bamb. *iis quaeque*. Flor. solummodo *que*, voci *utilibus* affixum, omisso pronomine *iis*, quod ad veram, ni fallor, scripturam ducit *utilibus*, *quaeque* etc., servatam in Paris. 1 et 2, ita ut *iis* a correctore profectum esse existimetur. *Quaeque* iam pro *et quae* dictum, veluti XII, 7, 10: *Neque enim video*, *quae iustior acquirendi ratio*, *quam ex honestissimo labore*, *et ab iis*, *de quibus optime meruerint*, *quique si nihil invicem praestent*, *indigni fuerint*. Qui usus neque a Ciceronis consuetudine dicendi alienus, de quo monuit Heusing. ad Off. I, 35, 2. Ab hoc tamen usu diligens quisque scriptor tum sibi cavit, quum duo relativa iuxta ponenda fuissent: v. Part. I. p. 14. Coniunctivi continuo subsequentis *sint* ego quidem iustam non perspicio defendendi rationem: quae enim contraria appellantur, ea neque ficta, neque dubia esse possunt. Quare malim cum utroque Parisiensi aliisque *sunt* rescribere. Atque omnino dici non potest, quot locis genuina Fabii scriptura a prava modorum conditione adhuc laboret. V. Part. II. p. 9 et 10. Restat ut verbo de Sarpii commento dicatur, qui pro *maxime* legendum censuit *magnifice*, Quaest. p. 56, quoniam Pythagoreos certe et

Platonem propter μεγαλοπρέπειαν oratori legendos iudicasset Dionysius Hal. T. V. p. 430 Reisk., vel quod Stoici *magnifici oratione* dicti essent §. 84, quod postmodum idem monuit Epistola ad nuperrimum Quintiliani editorem p. 12. Sed inanis ista videtur emendandi ratio, soli Frotschero probata, non modo non necessaria, sed ne apta quidem huic loco, in quo explicando defendendoque iam Herbstius bene versatus est. Ut sane isti magnifice dixerint, id tamen non quaeritur, sed in usum eos ab oratoribus ait Quintilianus ideo adhibitos esse, quod prae ceteris scriptoribus potissimum de iis rebus dixissent, quibus discutiendis nonnunquam orator operam dare deberet.

§. 38.

Quippe cum in Bruto M. Tullius tot millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur, et tamen de omnibus aetatis suae, quibuscum vivebat, exceptis Caesare atque Marcello, silentium egerit:

In hac scriptura a Spaldingio post Gesnerum commendata num quis erit qui tautologiam, quae inest in verbis *de omnibus aetatis suae, quibuscum vivebat,* semel monitus aequo ferat animo? Quam superiorum editorum vix ullus tulit, neque posteriorum quisquam praeter Gernhardium probavit: quod innumera commenta, quibus desperato loco refingendo succurrere studuerunt, satis testantur, quae hic denuo exagitare eo minus necesse videtur, quo diligentius in ea opera et Spaldingius ipse et posthac Frotscherus versati sunt, quorum hic praeeunte censore Ienensi verba *quibuscum vivebat* tanquam glossam contextu exclusit. Bene factum, adstipulante ipso codice Sarmatico, in quo, teste Sichardo, ea verba revera omittuntur: si modo sola nobis res cum illo additamento esset, quo lubenter sane careremus. At ista verba quum ex correcta scriptura codicum plane aliud exhibentium profecta sint, haec quomodo expedienda sit, illaborandum, non quid faciamus cum eo commento, quod ab Aldo inde obtrusum est; neque iam Sichardianus ille codex aliud quidquam testatur, quam excidisse quaedam, quae qualia sint ignoramus: quae omissio in tanto consensu codicum antiquissimorum non potest non vel casui vel vitio tribui. Neque qui posthac ad locum persanandum accesserunt, effecisse quidquam, in quo acquiescere possemus, mihi quidem videntur. Ac speciosius quam verius Geelius, Frotscherianae editionis censor, „scriptum fuisse puto, inquit, *qui tum vivebant,* cuius glossema *aetatis suae* textum invaserit. Illa certe propius accedunt ad Ciceronem, quem

Quintilianus sequitur, quique in Bruto scribit c. 65: *in hoc sermone nostro statui neminem eorum, qui viverent, nominare.*" Quibus Gernhardius recte opposuit, vix iustam glossematis caussam fuisse; adde quod proposita scriptura ipsa *qui tum vivebant* a codicum lectione iusto longius recedit. Zumptio olim in mentem venerat *quod invidiam vitabat*; sed ipse addit, hanc sibi loci scripturam iam non satisfacere. Ea tamen huius coniecturae vis est, ut sensum efficiat haud ineptum, scilicet ut caussa declaretur, ob quam Cicero de aequalibus suis silentium egerit. In hoc loco restituendo, cuius difficultas vel sagacissimorum virorum acumina elusit, quum temerarium fere esse videatur facinus, certi aliquid statuere velle, tamen promam quod multis abhinc annis in mentem venit quodque vero loci sensui, quem et Zumptius divinasse videtur, convenire haud negabis, *quod quisque contuebatur;* cui coniecturae ut aliquid tribuam, facit quod in eandem incidisse video censorem doctum in Paedagog. philolog. Litteraturblatt 1827. No. 27. p. 237. Atque haec lectio proxime accedit ad lectionem codicum, quorum Turic. *quidque contuuebit,* idemque m. sec. *quid quisque contuebat;* ac *quisque* propter praecedens *quid* obscuratum esse, apparet ex codd. Paris. pariter *quid quisque* tuentibus. Bamb. *quidqui conuiuebit.* Quod vero rescribimus *quod,* id ipsum suppeditat Flor., ita ut praeter codicum fidem nihil mutetur quam quod terminationem *ur* verbo apponimus, in quo qui meminerit, terminationem passivi *tur* in Mss. scribi solere *t',* nemo, ut puto, haesitabit. Ad sensum loci ut verbo revertamur, quod Quintilianus caussam, ob quam Tullius aequales suos silentio praeterierit, addidit, ab illo quidem non indicatam, facile autem divinandam, id eo maiore iure facere potuit, quo in simili re Cicero apertius eam ipse professus fuit, de rep. I, 1: *Omitto innumerabiles viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt, et qui sunt procul ab aetatis huius memoria; commemorare eos desino, ne quis se, aut suorum aliquem praetermissum queratur,* ubi vide notata in editione horum librorum nostra propediem vulganda. Quid? Ne reticuit ipse in Bruto suo eius silentii caussam, quum Atticum ita loquentem facit c. 72, *Praeclare, inquit, tibi constas, ut de iis qui nunc sint* [11]), *nihil velis ipse dicere: et si sic ageres, ut de iis egisti, qui iam mortui sunt, neminem ut praetermitteres . . . Quare sive hanc turbam effugere voluisti, sive veritus es, ne quis se aut praeteritum, aut non satis laudatum queri posset, de Caesare tamen potuisti dicere* etc.

11) Malim cum Lamb. *sunt.*

§. 39.

Fuit igitur brevitas illa tutissima, quae apud Livium in epistola ad filium scripta, legendos Demosthenem atque Ciceronem: tum ita, ut quisque esset Demostheni et Ciceroni simillimus.

Ego quidem minime mihi persuadeo, ut verba *quae apud Livium,* ut nunc quidem vulgantur, integra credam, dum olim post *quae* in Edd. *est* inserebatur, invitis quidem Mss., sed in hac relativi constructione, quantum ego quidem scriptoris usum novi, minime omittendum. Donec igitur idoneum aliquis mihi verbi in hac structura omissi exemplum ostenderit, vel cum solo Herzogio retinebo illud *est,* quod et facile oblitterari potuit post *quae,* et hanc ipsam sedem pro consuetudine dicendi Fabio familiari sibi vindicat, secundum quam relativum continuo sequi solet verbum substantivum, veluti XII, 2, 25: *in quo sit dicenda sententia,* et §. 27 *cuius est velut candidatus,* et sexcenta alia. Conf. supra a nobis monita. Ceterum quae sequuntur *legendos Demosthenem atque Ciceronem* cave pro ipsis Livii verbis accipias: continetur iis summa sententiae Livianae a Quintiliano in breve coacta, uti II, 5, 20, ubi idem Livii placitum etiam brevius iteratur. De hac vero Livii epistola ad filium scripta quum non videam editorum quemquam, qui quid statuendum sit exposuerit, dicam quod mihi videtur, quamvis id in mera coniectura positum. Praeter historiarum opus Livium constat ex Senecae Epist. 100 etiam alia quaepiam scripta reliquisse. *Scripsit enim,* ait Seneca, *et dialogos, quos non magis philosophiae annumerare possis, quam historiae: et ex professo philosophiam continentes libros.* Quid? si iam horum scriptorum alicui epistola dedicatoria, ut moris erat, ad filium scripta, praemissa fuit, in qua hunc ipsum de studiis rhetoricae, quam nemo fere tum erat qui non tractaret, recte instituendis edoceret; nisi forte Livius etiam scriptorum rhetoricorum auctor fuit, quorum alicui talis epistola, in qua de arte ista ageretur, etiam aptius praeposita fuisset. Etenim ex Senecae loco l. concludi non potest, praeter dictos illos libros a Livio alios non conscriptos esse. Praeterea ex eadem, ut videtur, epistola sumpta, quae Fabius excitat II, 5, 20: *cum iam apud T. Livium inveniam, fuisse praeceptorem aliquem, qui discipulos obscurare, quae dicerent, iuberent, Graeco verbo utens,* σκότισον. At omnia ista in coniectura mera posita sunt: certiora videbuntur, quae de illius moris veterum, scripta prooemio vel dedicatione exornandi, exemplo alio in transcursu expromere iuvat.

Vitarum a Suetonio conscriptarum primam initio mutilam esse constat: cui damno remedendo haud defuere qui sese accinxerint, enumerati plenissime in

Fabricii Bibl. Lat. T. II. p. 451 seq. Horum numerum novo aliquo commento augere minime lubet: immo multo plura quam vulgo putatum in exordio huius operis interiisse, certo demonstraturum me confido. Etenim interiit prorsus, quae more saeculi totum opus ornaret, praefatio quaedam, vel certe dedicatio, quod manifeste liquet ex Io. Laur. Lyd. de mag. Rom. II, 6. p. 102, qui, ubi de praefectura praetorii verba facit: Τράγκυλλος τοίνυν, inquit, τοὺς τῶν Καισάρων βίους ἐν γράμμασι ἀποτείνων [12]) Σεπτιμίῳ, ὃς ἦν ὕπαρχος τῶν πραιτωριανῶν σπειρῶν ἐπ᾽ αὐτοῦ, πραίφεκτον αὐτὸν τῶν πραιτωριανῶν ταγμάτων καὶ φαλάγγων ἡγεμόνα τυγχάνειν ἐδήλωσεν. Ad quae verba acute Fussius adnotavit: „Si neque corruptus est textus, neque fallitur Lydus; sequitur Suetonium, quod ille refert, in praefatione ostendisse, in qua vitas Caesarum Septimio dedicaverit.“ Quum vero per se nulla possit cogitari caussa, cur hac in re Lydum falsum fuisse dicamus, digna sane res est, in quam diligentius inquiratur, quum si quid in Lydi loco falsi inest, id non auctori, sed librariorum negligentiae probabiliter deberi demonstraturi simus. Omne autem huius quaestionis momentum a nomine praefecti pendet, cuius hominis notitiam frustra quaesivi in aequalibus Tranquilli. Contra vero mihi sese obtulit *C. Septicius* quidam cognomine *Clarus,* quem omnia suadent ut pro eo ipso habeamus, cui Suetonius opus suum dedicarit. Praefuit enim is Hadriano imperante praetorio atque eandem cum Suetonio, tum epistolarum magistro, sortem iniit, quippe quibus quum una cum aliis multis, *qui apud Sabinam uxorem imperatoris familiarius se egissent, quam reverentia domus aulicae postulasset,* ab imperatore irato successores dati sint. V. Spartian. Vit. Hadrian. c. 11 et 15. Ac passim huius Septicii mentio apud Plinium Secundum fit, qui cum Tranquillo pro amico habuit, ut adeo hortatu eius quae scripsisset se collegisse publicareque ipsius nomini inscripta et dedicata narret Epist. I, 1; quo homine *nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius* se novisse, testatur idem Epist. II, 9: ex qua epistola simul cognovimus Septicii huius fratrem Erucium Clarum, *virum sanctum, antiquum, disertum,* huiusque filium Sextum Erucium, *iuvenem probissimum, gravissimum, eruditissimum.* Eundemque Septicium, ut videtur, Plinius, simul intelligit, quum Epist. VI, 11, qua Suetonium hortatur, ut opera sua diu promissa tandem in lucem edat, ipsius hendeca-

12) Ex correctione Fussii haud certa: Cod. ἀποτίνων. Melius fortasse ἀποτελῶν. Quo modo cunque de hac lectione statuas, idem manebit sensus huius loci: neque dubium est, verbis ἐν γράμμασι praefationem, qua opus suum auctor Septimio dedicasset, significari. De qua vocis γράμματα, qua pro litteris vel epistola dicitur, v. Budaei Comm. ling. Gr. p. 251. Passim eo sensu Herodianus historiam scriptor usus est.

syllaborum mentionem facit, qui scripta Tranquilli *communibus* amicis spoponderint [13]). Praeterea adeas de hoc Septicio Ep. I, 15. VII, 28. VIII, 1. Haec quum ita sint, haud dubitamus, Septicio potius illi, quam Septimio cuidam, quem ignoramus, Caesares a Suetonio dedicatos putare, quum praesertim meminerimus, nominum illorum commutatione in Mss. nullam videri faciliorem fieri potuisse.

§. 40.

Non est tamen dissimulanda nostri quoque iudicii summa.

In contrario errore editores hic versati sunt, qui *tamen* quod a Mss. repudiatur insererent. Quod unus Gernhardius intellexit, qui id desiderari recte negavit, tum propter *non* cum gravitate positum, tum propter *quoque:* quibus auctor satis significat, suam se iam sententiam Livii iudicio ex adverso positurum esse.

Paucos et vix ullum ex his, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri.

Haud mala Frotscheri et Herzogii lectio *paucos enim et vix ullum* etc. nimirum conflata ex varia codicum scriptura, quorum Turic. Flor. et Guelph. *enim vixillum* exhibent. Tutius tamen videbitur, in Spaldingiano contextu supra posito, qui quum aliorum librorum, tum etiam Paris. utriusque auctoritate nititur, interim acquiescere, quoniam ob frequentem particularum *et* et *enim* confusionem in Mss. probabilius videatur, hoc pro illo male lectum putare. Bamb. *paucos enim vex* (hoc scriptum pro *vel*, quod alii tenent) *potius vexillum et his vetustate*, quorum verborum prior pars aperte ex interpolatione est.

§. 41.

Quotus enim quisque inveniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicuius certe fiducia partis memoriam posteritatis speraverit?

Spaldingiana hac prioris commatis lectione nihil potuit excogitari, quod et sententiae loci magis convenire et ex ipsa vitiosa librorum scriptura ad singula

13) Obiter adiicio, a Frontone quoque inter familiares suos Tranquillum quendam memorari Ep. ad Verum p. 174 ed. Rom.; quod si Suetonius noster est, ut fas est credere, id coniecturam nos facere sinit in aetatem supremam, quam vita Suetonii attigerit: qua de re neminem memini qui accurate adhuc quaesierit. Aetate quam maxime provectus diem supremum obiisse censendus esset. Nam Vit. Neron. 57 adolescentem se fuisse ipse dicit, quum viginti anni a morte Neronis elapsi essent: quod incidit in annum septimum imperii Domitiani.

eius elementa exacta facilius prodire videretur. Quocirca hac ex parte locus me quidem iudice pro restituto haberi potest. Atque ut Turic., ita Bamb. quoque *inveritande mens,* unde *demens,* sponte nascitur. At non item de posteriore huius loci parte sentio, in qua quod Philandri ex coniectura vulgatur *memoriam posteritatis* recte quidem ad sensum quadrat, atque adeo de more scriptoris nostri, qui ea phrasi saepius usus est, dictum est, sed Mss. scripturae ita repugnat, ut merito aliud quidquam a Fabio profectum esse censeas. Neque longius id quaerendum est. Etenim eo loco, quo nunc *posteritatis* exhibetur, codices plurimi cum Sichardiano vel *artis* offerunt, vel tale aliquid, quod facile ex eo corruptum esse arguitur, quale est *attis* in Turic., vel *artus* in Almel., vel *atis* in Bamb. Ac si in Flor. scribitur *attidis peraverit,* ab altera m., quam revera pro correctrice habendam esse constat, rescriptum est *artis speraverit.* In hoc consensu librorum omnium non video cur non id ipsum *artis* pro genuino habeamus, paullo concisius, sed haud minus Quintiliani de consuetudine dictum pro *artis suae,* non abhorrens ab ea dicendi forma, qua Cicero usus est Brut. 9, 38: *ut memoriam concinnitatis suae . . . relinqueret.*

§. 44.

alii pressa demum et tenuia, et quae minimum ab usu quotidiano recedant,

Parendum videtur libris Mss., ex quibus colligitur, scribendum esse *tenuia atque quae,* a Gernhardio nunc repositum. Turic. Bamb. et Flor. *tenui atque,* quod in Turic. a m. sec. correctum est *tenuia atque quae,* et sic alii quoque libri Spaldingio laudati.

quosdam elatior ingenii vis, et magis concitata, et alti spiritus plena capit.

„Insertum a Spald. *alti,* quod coniecerat etiam Burmannus, excludendum putavi cum censore Ien., quum Turicensis scriptura *alia (alias) sputius,* Florentini *alios spurtius* librariis deberi videretur. Vid. ad §. 35.“ Haec Frotscherus, qui l. l. adnotavit p. 37: „Nam quod . . . legitur *alia oratorum,* in ea recte vidit censor Ien. *alia* profectum esse a librariis, *alia* exemplaria pro *oratorum* aliud verbum praebere significantibus. Idemque indicat illud *alias,* quod h. l. in quibusdam libris comparet. Hoc enim verbo et ipso saepissime utebantur, si qui aliorum librorum lectiones vellent commemorare.“ Hunc secutus Gernhardius expulit *alti,* quod recte factum esse, egregie nunc docemur ex Bambergensi, corruptelae
al. spuritius
originem manifeste ostendente. Ibi enim scriptum *plena sps capit.* Utar vero

hac occasione, ut de alio Quintiliani loco dicam, quo eadem vox, quam exsulare iussimus, scriptori reddenda videtur, XII, 10, 23, quo Quintilianus falli eos demonstraturus, qui Atticos oratores tenui tantum genere dicendi et lucido et quadam eloquentiae frugalitate contentos fuisse credant, postquam oratores quosque praecipuos enumeravit atque breviter more suo de iis iudicavit, tandem ad Aeschinem atque Demosthenem, summo tanquam fastigio eloquentiae Atticae collocandos, his se convertit: *Quid ille, cuius modo fecimus mentionem, Aeschines: nonne his latior et audentior, et excelsior? Quid denique Demosthenes? non cunctos illos tenues et circumspectos vi . . . superavit?* Ab hoc loco generis *lati,* quod cum *fuso,* teste ipso Quintiliano XI, 3, 50, idem est, significatio prorsus aliena mihi quidem videtur, quum praesertim quod alias fieri potest, hic quidem id in virtutibus oratorum poni non possit. Nihil vero aptius afferri potest, quam istis Aeschinem fuisse altiorem, audentiorem, excelsiorem. Itaque legendum suspicor *altior,* obscuratum eo vitii genere, quo saepe litteras singulas a librariis transpositas esse constat: cuius permulta exempla vel unus Vaticanus Ciceronis de rep. codex suppeditat. Atque in persimili loco Tacitus Dial. 37 *altior et excelsior* iunxit: idem rursus c. 18 *urbanior et altior.*

§. 45.

Paucos enim, qui sunt eminentissimi, excerpere in animo est.

Laudo diligentiam Gernhardii, qui illam lectionem a Philandro profectam atque ad Frotscherum usque propagatam viderit posthabendam esse codicum scripturae, quorum plurimi, quibuscum facit Bamb. quoque, *qui* omittunt, unde patet locum integrum non esse, restituendum vero ope sec. m. Turic., a qua *sunt enim* exhibetur. Itaque recte Gernhardius: *Paucos (sunt enim eminentissimi) excerpere in animo est.* Vellem sane adesset copula aliqua, qua praecedenti sententiae hoc comma necteretur, veluti *enim,* ut scriberetur: *Paucos enim (sunt enim* etc.); atque alterum *enim* potuisset ob sequentis syllabae similitudinem facile oblitterari. Hoc tamen reponere non ante audebo quam eiusdem intra tam breve spatium iteratae particulae aliud ex Quintiliano allatum fuerit. Nam similis, non eiusdem generis locus est III, 1, 3: *In ceteris enim admiscere tentavimus aliquid nitoris, non iactandi ingenii gratia (namque in id eligi materia poterat uberior) sed ut* etc.

§. 46.

Igitur, ut Aratus ab Iove incipiendum putat, ita nos rite coepturi ab Homero videmur.

Simillima exordii ratio apud Tullium de legg. II, 3, 7: „Q. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem. M. *A Iove Musarum primordia*, sicut in *Aratio* carmine orsi sumus. Q. Quorsum istud. M. Quia nunc itidem ab eodem, et a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia." et de rep. I, 36: „Imitabor [sic leg.] ergo Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens, *a Iove incipiendum* putat"; ut hos locos Fabium paene dicas imitatum esse.

Hic enim quemadmodum ex oceano dicit ipse amnium vim fontiumque cursus initium capere, omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit.

Sententiam neque integram esse, neque adeo cum Homerico loco convenire, facile est intellectu attentius hunc locum intuenti; neque denique quae vulgantur a codicibus comprobantur, quorum meliores et cum his Bamb. quoque *vim* omittunt, recte nunc etiam a Frotschero et Gernhardio omissum. Sed non sufficit hoc ad locum persanandum, quem tum demum sanum existimabis, quum quod monui ad Cornutum p. 129 probaveris, ante *amnium* excidisse *omnium,* totumque locum iam ita rescribendum esse: *omnium amnium fontiumque cursus initium capere.*

Hunc nemo in magnis rebus sublimitate, in parvis proprietate superaverit.

Flor. sec. m. Paris. 1. 2. Guelph. Goth. cum Edd. ante Basil. excepta Camp. *superavit.* Falso. Debuerant librarii, ni fallor, scribere *superarit,* quod nunc video Frotscherum quoque statuisse.

